





1. Alberti / Valent. / diff. de  
munificentia Divina in  
N. T. Lipsie, 1668.
2. Arcularij / Danz. / diff. sistens  
theses Theologicæ de Questio-  
nibus aliquot controversis,  
Marburgi, 1695.
3. Hunnij / Azid. / proposi-  
tiones theologicæ de eter-  
na prædestinatione filio-  
rum Dei ad Salutem,  
francesfurti, 1594.



99 A 6909



16 17 20

DE  
CHRISTO EXEGETA  
PAUCA DISSERERE,  
ET SIMUL  
VIRO CLARISSIMO ATQUE DOCTISSIMO,  
DOMINO  
GOTTLOB KAHLIO,  
DE  
MAGISTRI PHILOSOPHIÆ  
HONORIBUS,  
QUIBUS  
AUSPICATO AUGEATUR,  
GRATULARI VOLUIT  
L. GOTTLIEB GAUDLIZ,  
ECCLESIAST. LIPS.

---

LIPSIÆ,  
LITTERIS BREITKOPFIANIS  
ANNO MDCCXXXIII.



DE  
CHRISTO EXCELSA  
PAGCA DISPERERE  
ET SIMUL  
VIRO CLARISSIMO ATQUE DOCTISSIMO  
DOMINO  
GOTTLIBO KAHLO  
DE  
MAGISTRI THEOLOGICAE  
HONORIBUS  
QUIBUS  
AUGMENTATO AUMENTATUR  
L. GOTTLIBI GAUDLIZ,  
ECCLESIAST. LIB.

---

LIP SIAE  
LITTERIS BREITKOPFIANIS  
ANNO MDCCXXIII







**M**ultarum Scripturæ S. vocum *emphases* veras omnino esse, nonnullarum autem, ex eorum imprimis ingenio, qui Græcos N. Fœderis libros exponunt, *effictas*, de eo nullus facile rerum existimator iustus dubitare poterit. Has vero si quis sub examen vocare voluerit, de hoc ante omnia ut videat, necesse est, ne, dum de eo, quod in comminiscendis vocum *emphasibus* nimium est, differit, illorum reprehensionem incurrat, qui de eo, quod nimium est in istis eliminandis, contra novitates ad dicendum sunt paratissimi. De bona illa, an potius dicam mala? Interpretum libidine, ex qua ficta sæpius loquuntur verba, forsitan alio tempore plura accommodare dicendi nobis dabitur occasio. Hoc tantum impræsentiæ volumus, ut exemplo quodam ex Scripturis S. desumpto, breviter tamen, demonstremus, quid voluptatis iste habeat labor, quem diligens investigator impendit, qui insignem huius aut illius vocis phræcosque efficaciam, eandemque suis involutam întegumentis, eruit atque rimatur.

Divus scilicet JOANNES, quando non solum quantum Evangelium suum ab Hæreticorum commentis distet ostendere, sed & ipsius doctrinæ CHRISTI dignitatem

G. I. 15.

pariter



pariter ac certitudinem adstruere vult, magnifice imprimis de eo gloriatur, quod ipse DEI Filius, in carnem nostram veniens, omnia Divinitatis arcana, scitu nobis perquam necessaria, exposuerit atque enarraverit. *Ἐνεώς, inquit, ἐξηγήσατο.* Et de hac voce, virtute sua admodum pręgnanti, pauca iam in medium afferre juvat:

Verbum, *ἐξηγεΐσθαι*, ratione *ετυμ*i sui, idem proprie notare, ac educere, vel tandem pueris notum est. Inde *metaphorice* significat *enarrare*, quia qui res alioquin latentes & obscuras narrant, easdem quasi e tenebris in lucem proferunt atque educunt.. conf. *Act. X. 18. XV. 12. 14. XXI, 19.* Sensus igitur verborum JOANNIS hic est: Filium DEI unigenitum, qui arcano Divinitatis de generis humani redemptione, vocatione & salute ipse interfuit consilio, mysteria illa, quę proinde solus exacte novit, clare satis ac perspicue exposuisse. *Ἐξηγήσατο*, verba sunt DES. ERASMI, *non solum eam habet emphasin, quod CHRISTUS ea, quę vidit, clarius enarraverit, quam MOSES aut PROPHETÆ, dilucidius enim enarramus ea, quę vidimus; Verum etiam quia Lex non loquebatur, nisi JUDÆIS, CHRISTUS per Evangelium omnibus mundi nationibus exposuit DEI gratiam. Quę sine dubio ex D. CHRYSOSTOMO haurit, scribente: Τὸ ἐξηγήσατο τὴν τρανοτέραν καὶ σαφεστέραν δεινὸν διδασκαλίαν, ἢ πρὸς Ἰεδαίτες μόνον, ἀλλὰ καὶ πρὸς ἅπασαν ἐποίησατο τὴν δικεμένην καὶ κατώρθωσε.* Bene, ut vides, hæc se habent omnia; Sed annon ex *antiquitate Gręca* huic voci ac loco lux aliqua accendi possit? penes legentes esto iudicium.

Vocem, *ἐξηγεΐσθαι*, & quę inde derivantur alię, ut sunt: *ὁ ἐξηγητὴς*, vel: *ἡ ἐξήγησις*, peculiari significatione, ad eos olim pertinuisse, qui religionis Interpretes, cęremoniarum Antistites, Legumque patriarum fuerunt periti, LEXICA te docebunt vel tandem SCAPULAE, BU-DAEI aliorumque. Quoniam vero tam veteres, quam re-

*Annot. ad h. l.*  
p. 241.

*Hom. XIV. in*  
*Job. p. 94.*



centiores Critici utilem illam ac necessariam, suaque aucto-  
ritate satis munitam, *Exegetarum* distinctionem sapius ne-  
gligunt; Age nunc breviter illam mecum consideres, præeun-  
tenobis **G I S B. C U P E R O**, imprimis autem, **J U L. P O L-**  
**L U C E** & *Annotationum* in hunc Auctorem doctissimis.

Duplex igitur, scito, hoc fuisse hominum genus, *σα-*  
*crum* alterum, alterum autem *forense*. Ἐξηγητῶν *sacri*, qua-  
les sine dubio pleræque **G R A E C I A E** civitates habue-  
runt publicos, sacra, ritus, Deorum cultum, caremonias,  
prodigia, portenta, & si quid hujus rei fuit aliud, inter-  
pretati sunt. Unde **P O L L U C I** οἱ τὰ περὶ διοσημείων, καὶ  
τὰ τῶν ἄλλων ἱερῶν διδάσκοντες; h. e. *qui prodigia & alias*  
*res sacras dijudicabant*, audiunt. **H A R P O C R A T I O N I**  
vero ὁ ἐξηγητῆς est ὁ ἐξηγούμενος τὰ ἱερά, & **H E S Y C H I O**  
tandem ὁ περὶ ἱερῶν καὶ διοσημείων ἐξηγούμενος. Sic *Magi*  
**P E R S A R U M**, qui Regem & populum docebant, quibus  
*Diis*, quo ritu, quo tandem modo res divina facienda esset,  
ἐξηγείσθαι dicebantur: Et apud **A R R I A N U M** τὴν θυσίαν  
ἐξηγήσασθαι idem notat, ac *sacrificii modum rationemque doce-*  
*re*, sicut apud eundem **A L E X A N D E R** sacrificium fe-  
cisse dicitur, & quidem ex yatum præscripto, ὅσα, *inquit*,  
οἱ μόνταις ἐξηγῆντο. Loca adduxit Doctissimus **J O H.**  
**A L B E R T U S**, ut adeo hoc superfedere possimus labo-  
re. Nec dubito, fore quenquam, qui nesciat, *Libros*  
**G R A E C O R U M** *rituales*, quales, **A T H E N A E O** teste,  
scripserunt **A N T I C L I D E S** & **C L I D E M U S**, ἐξηγητῆ-  
κῆς uno nominari ore. Hæc de sacris & Deorum cultu,  
quem docebant illi Legum sacrarum, atque adeo totius  
religionis Interpretes, quos **P L A T O** ἐξηγητῶν æque, ut  
**P L U T A R C H U S**, in *Numa*, Pontificem Max. ἐξηγητῆν  
καὶ προφήτην appellat. Quod autem prodigia & ostenta  
attinet, norunt omnes, phrasin: ἐξηγείσθαι τὰ τέρατα, apud  
*Scriptores Græcos* frequenter occurrere, unde & τεράτων καὶ

*Apotheos. Ho-*  
*mer. p. 276. sqq.*  
*Onomast. L.*  
*VIII. C. X. p.*  
*949.*

*Obs. in N. Z.*  
*p. 208.*

*Lib. VI. de LL.*  
*p. 616.*



ἐνοπλίαν ἔξηγηταὶ nomen suum habebant, quos *prodigiorum*  
 & *somniorum Interpretes* Latini vocant. Huc v. g. perti-  
 nent Τελμισσέων ἔξηγηταί, quos ex HERODOTO adduxit  
 Lib. VII. C. JUNGERMANNUS ad POLLUC. & ex ARRIA-  
 XXXIII. p. 801. NO ALBERTUS. l. c. De his enim constat *Vatibus Tal-*  
 missensibus, quod τὰ θεῖα, sic veteres vocabant *somnia*,  
 ἔξηγεῖσθαι soliti fuerint. Ac de ἐξηγεμένοις τὰ σημεῖα καὶ  
 Char. Etb. C. τέρρατα procul dubio THEOPHRASTI quoque verba  
 XVII. hæc intelligenda sunt, quando dicit. Ἐάν μὲν δούλοισιν ἀλφι-  
 τῶν διαφάγη, πρὸς τὸν ἔξηγητὴν ἐλθὼν ἐρωτᾷν τι χρη ποιεῖν;  
 Hi enim τερατοσκοπίαν καὶ τερατολογίαν exercebant, sicut  
 apud ROMANOS TYRRHENOS prodigiorum inter-  
 Lib. V. Bibl. pretes ἔξηγητὰς fuisse memorat DIODORUS SICULUS.  
 Hist. p. 316. Quid? quod ipsi ALEXANDRINI Interpretes, ubi de  
 Gen. XLI. 3. 24. AEGYPTI Sapientibus, qui PHARAONIS sui so-  
 mnium interpretatione explicare debebant, sermo fit, istos  
 ἔξηγητὰς vocarunt, quos ille, qui *Versionem LXX viralem*  
 Latino donavit idiomate, scite *Expositores* nominare vo-  
 luit. Alibi autem iidem LXX. Viri τὸ ἔξηγεῖσθαι de sacer-  
 Lev. XIV. 57. dotibus usurpant.  
 Forenses, qui alterum, ut diximus, genus constitu-  
 bant, *Exegetas* illos appellare licebit, qui civitatum leges  
 exponebant, sciscitantesque suo, pro virili, adjuvabant  
 consilio. Illud ut statuamus, suadent nobis verba *Auctoris*  
 M. *Etymologici* sequentia: Ἐξηγητὰ, οἱ τὲς νόμους τοῖς ἀνομο-  
 σι διδάσκοντες, καὶ ὑποδεικνύοντες περὶ ἀδιήματος, ἃ ἕκαστος  
 γράφεται. Hoc autem nullus facile in dubium vocare po-  
 terit, qui veterum monumenta manu versat nocturna, ver-  
 sat diurna. Apud PLATONEM pater EUTHY-  
 PHRONIS πέμπει ἀνδρῶν πεισόμενον ἔξηγητῆ, quid in cer-  
 to casu sibi agendum esset? Et in ea DEMOSTHE-  
 NIS adversus EVERGUM & MNESIBULUM  
*Oratione* crebra *Exegetarum* fit mentio. Ubi enim v. g.  
 nutrix quædam a THEOPHEMO verberata post sex-  
 tum



tum diem moritur, Dominus illius ad *Exegetas* venit, ut ex illis cognosceret, quid sibi faciendum esset? Qui etiam illi dederunt consilium, quomodo jure agere queat. Hanc ob causam *DEMOSTHENIS Interpres* haud ineptè τὸν ἑξηγητῶν nominare voluit *Jureconsultos*, quippe qui de jure respondebant. Nam quod *ATHENIENSIBUS* erat τὸ ἑξηγητῶν in foro, id *ROMANIS* erat de *Jure respondere*, vel *responsitare*. Respondere enim dicuntur Juris consulti de *Jure*, quando interrogati: Quid juris sit? docent. Unde *ICTorum Responsa*, de quibus videatur *BAR. BRISONIUS*, & *J. G. HEINECCIUS. HORATIUM* vero, eandem ob causam, *ICTos Responsores* dixisse, id, me etiam tacente, scient omnes. Adducit quidem, ne silentio quid præteream, rem omnem, quod *Exegetas* attinet *forenses*, & quos illorum temporum *ICTos* vocare allibuit, in dubitationem *JUNGERMANNUS*, nec sibi persuadere potest, quod nomen hocce iis sit accommodatum, adeo quidem, ut magnopere miretur, cur *DEMOSTHENIS*, *Interpres* eosdem *ICTos* vocare sibi sumferit? Verum enim vero, cum & ipse hoc nobis dare voluerit debueritque, quod οἱ ἑξηγητῶν *Leges patrias*, earumque sensum probe perspectum habuerint, quodque easdem, editis responsis, interpretari consueverint, quippe quod ad singulare veluti *Jurisconsultorum* peculium pertinebat, quod servabant tanto diligentius, quanto magis hac arte plebem habebant sibi obnoxiam, quid quæso obstat, quo minus *Juris periti* dici queant? Sit ita, quod ille ulterius objicit, quod scilicet proprium τὸν ἑξηγητῶν officium fuerit, sacras interpretari caeremonias, & de expiationibus, funeribus & aliis respondere consulentibus. Num hæc utramque juris fecisse paginam affirmare sustinueris? Vix ego crediderim. Inter omnes sane constat, quod decem illa, ac paulo post duodecim tabula, quas nonnulli *Legum ferendarum causa creati Decemviri* com-

Lib. III. de  
Form. p. 331.  
Antiqq. R. L.  
l. T. 2. p. 60.



pilarunt, quæque pro publici ac privati juris fonte apud ROMANOS semper habitæ sunt, ex jure peregrino, & præcipue Attico, quod anno Urb. Cond. ni fallor, CCCI. tres in GRAECIAM ideo missi Legati attulerant, confectæ sint. Si itaque hoc verum est, quod nemo inficias ire poterit, quod ROMANI jure GRAECORUM uti voluerint; Verisimile omnino est, quod & illud eadem ratione ac modo administraverint, ac quidem ATHE- NIS, aut alibi locorum in GRAECIA usitatum & quo- tidianum erat. Jam vero ex Doctissimi HEINECCI *libro citato* intelligas licet, quod omnis juris ambitus ad „solos pontifices haud pertinuerit, dum dicit: Equidem „penes Pontificum Collegium fuisse Legis actiones, docet „POMPONIVS. Sed cave cum vulgo existimes, ad „omnes Legis actiones universamque interpretandi ra- „tionem hunc POMPONII locum pertinere. Aliud do- „cet CICERO: *Sepe ex Patre audiui, Pontificem nemi- „nem bonum esse, nisi qui jus civile cognosset. Totumne? „Quid ita? Quid enim ad Pontificem de Fure parietum, aut „aquarum, aut ullo similium? Ergo quod cum religione con- „junctum est. Sed autem quantum est? De sacris credo, „de votis, de feriis, de sepulchris, & si quid ejusmodi est.* Quæcunque ergo cum religione conjuncta erant, ea saltem erant cognitionis Pontificiæ. Cætera vero, quæ ad forum magis spectabant, ab JCtis plenius tractabantur. Imprimis autem ea accuratius perpendi merentur, quæ ex STRABONE affert GUL. BUDAEVS. Ubi enim ille refert, quod, Actiaco bello confecto, & ANTONIO cum CLEOPATRA captis, AEGYPTVS ab AUGUSTO in provinciæ formam redacta fuerit, dumque rationem administrandæ ejusdem provinciæ sub AUGUSTO & TIBERIO, exponit, non solum de summo mentionem fecit Magistratu, qualis v. g. erat τὴν τῆ βασιλείας ἔχων τὰ ἔν, seu qui vicem obtinebat Regis, sub quo erat Δικαιοδό-

Cf. J. Stephan.  
de jurisdic. P.  
R. L. III. c.  
III. p. 414.  
De ass. L. IV.  
p. 386.



της, & alius tandem Magistratus, qui ἴδιος λόγος, feu, *privata rationis Procurator* dicebatur; Sed & *Exegetarum* *minit*: τῶν ἐπιχωρίων ἀρχόντων, ὅτε ἐξηγητὴς ἐστὶ κατὰ τὴν πόλιν, πορφύρεον ἀμπεχόμενος, καὶ ἔχων πατρῷς τιμὰς, καὶ ἐπιμέλειαν τῶν τῇ πόλει χησιμῶν. h. e. *Inter municipales magistratus est, qui Exegetes dicitur, quasi sacrorum interpres, vel augur in urbe, purpuram gestans, & aliis honoribus provincialibus insignis, earum rerum procuracionem habens, quæ civitati conducunt.* Sed quo tandem mea delabitur oratio? *Missa hæc faciam, oportet, ut in viam, quam ingressus sum, citissime redeam.*

Sancti igitur JOANNIS locum supra excitatum ex hac GRAECORUM antiquitate de *Exegetis*, iisdemque præcipue *sacris*, illustrari aliquantum posse, dicere ferme aufim. Quid vero id affirmanti opponi possit, haud falso suspicor. *Primum* illud fortasse erit: Evangelistam CHRISTUM non τὸν ἐξηγητὴν nominare; Sed tantum *verbum, ἐξηγητῶν*, de illo usurpare, quæ inter propemodum aliquid intercedere videtur discriminis. *Alterum*: Verendum esse, ne sic aurum luto, sacraque miscantur profanis, si aquas ISRAELIS limpidissimas aliunde, quam ex unico sanctuarii fonte derivare volueris. *Tertium* tandem eo spectat, quod nondum satis constet, an unquam animum vel oculos his Græcorum ritibus JOANNES intenderit suos, quippe qui literis haud imbutus alienæ gentis mores parum curasse forte creditur. Sed responsum isti auferant tale: Verum omnino esse, JOANNEM CHRISTUM non τὸν ἐξηγητὴν vocare, prout quidem TIMOTHEUM *Atheniensem*, absolute τὸν ἐξηγητὴν PLUTARCHUS appellat; Ast quotusquisque est, qui nesciat, quod pro officii *Nominibus* sæpe usurpentur *Verba*? Sic dicimus: *Regnat, pro: Rex est, Docet, pro: Doctor est.* Ad eundem igitur modum *verbum: ἐξηγητῶν*, idem esse ac: ἐξηγητὴς fuit, F. A. LAMPE contendit. Quod vero *alterum* attinet, *In Job. T. 1.*  
nemo p. 397.



nemo facile subnegare poterit, quod plures in N. T. occurrant phrasæ atque voces, quæ natales suos gentilibus, vel usitatis apud illos ritibus, debent, adeo, ut nullus easdem, nostrâ saltem ætate, tanquam mali veneni poculum, aut ut aquas fœtidas horreat. *Α ὁ Θεὸς ἰκανοποιεῖσθε, σὺ μὴ νοβίζετε.* Tertium autem facili opera dissolvetur dubium, si quod

verum est, multisque veterum testimoniis probari potest, **JOANNEM** Evangelium suum **EPHESI** aut scripserit, *Lib. III. C. I.* aut edidisse, tecum reputaveris, de quo **IRENAEUS** legi meretur. Revocat itaque Sanctus Doctor, inter Ecclēsiæ primitivæ *κύβες* merito numerandus, recens conversos, hac sua voce, ab *Exegetis*, omnibus satis notis, ad

verum sacerdotem ac Prophetam **JESUM CHRISTUM**, in quo uno veritas est & gratia. Quomodo autem vox *Græca*, ὁ ἐξηγητής, apte Latino idomate enuntiari possit, quaeritur? Et in eo est **G. CUPERUS**, ut probet, illam accommodissime designare *Interpretem*. Sunt vero

proprie Interpretes isti, qui rem obscuram exponunt & explicant, ut de Græcis **ARISTOTELIS** Interpretibus ex **P. J. NUNNESIO** notum est, quod omnes illum κατ' ἐξοχὴν τὸν ἐξηγητήν, seu *Explanatorem* appellent, quia ea,

*ad Vit. Aristot. p. 62.*

quæ **PLATO** obscurius dixerat, plane & perspicue expenderit: Sunt & peculiari sensu, apud **ROMANOS**, notante

*ad Æneid. III. § 14.*

id quidem **SERVIO**, isti dicti Interpretes, qui vel Deorum mentem mortalibus publicarunt, vel animos inter sese diffidentes conciliarunt. *Exegeta* igitur vel *Interpres* Servator noster optimus illius pacis exitit, quæ Deum inter

*Eph. II. 14. 17.*

ac homines conciliata fuit, αὐτὸς γὰρ ἐστὶν ἡ εἰρήνη ἡμῶν, καὶ ἐλθὼν εὐαγγελίσσατο εἰρήνην ὑμῖν τοῖς μακρὰν, καὶ τοῖς ἐγγύς. Si quidem & adhuc iratum Patris sui ob peccata nostra animum jugiter deprecatur. *Interpres* & *Exegeta* fuit, dum

Deus Pater, qui olim πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως cum hominibus per Prophetas, in quibus **CHRISTI** erat spiritus, locutus fuerat, in ultimis hæcē diviñæ œconomiaē tempori-



poribus, in Filio, & per eum, suam de salute nostra voluntatem fideliter nobis explanandam curavit. Διὸ καὶ λόγος λέγεται, καὶ μεγάλης βελῆς ἄγγελος, inquit **CHRYSOSTOMUS** *l.c.* Confer & **POLLUCEM**, qui ἐξηγητὴν per διδασκαλίαν καὶ παιδευτὴν, ἐξήγησιν vero per διδασκαλίαν καὶ παιδείαν explicat: *Interpres* tandem & *Exegeta* fuit, dum **Legem Divinam PHARISAEORUM** corruptelis depravatam atque obscuratam pristino veroque nitore suo restituit, & homines, ut recta sese committerent via, diligentissime admonuit. Nam quod *verbum ἐξηγεῖσθαι*, & quæ ab eo descendunt, de viis ac itinerum ducibus usurpetur, idem **POLLUX** auctor est. Quapropter etiam **CHRISTUS** κατ' ἐξοχὴν τῶν νόμων ἐξηγητὴς, quo alias elogio **JUDAM** & **MATTHIAM** afficit solertissimus rerum judaicarum indagator **FL. JOSEPHUS**, dici meretur. Quod & illi, quam **JUDAEI** de **MESSIA** foverant, expectationi convenit, quippe qui dubitabant nulli fore, ut per illum omnia Legis abscondita explanarentur, quæ traditio adeo universalis erat, ut **SAMARITANI** idem fore, sperarent. Perpendas autem tecum velim, annon in maxime insigni ac excellentissimo illo piæ antiquitatis, de unico apud Deum Mediatore, testimonio, quod in **S. JOBI** libro legitur, ubi Angelus, quem **CHRISTUM** esse, argumenta ex contextu desumpta invicte probant, quemque Deus mittere dicitur, ad annunciandum hominibus rectitudinem suam, hæc omnia diu prædicta & significata fuerint? Notabile enim ibidem nomen exstat, quando Angelus ille **πρωτομ** nominatur, quod *Nomen* vel *Participium*, *Interpretem*, *Oratorem*, *Doctorem*, aut potius *Intercessorem* in sacris notare inter omnes constat.

Habes ergo **CL. KAHLI**, quæ ipse de voce *Græca*, ἐξηγεῖσθαι, quantum chartæ permittit angustia, dicere habui. His autem præstructis, quivis facile oderari & per vestigare poterit, quam coacta illa sit, quæ a **LUD. DE DIEV,**

L. IV. C. VI.  
p. 368.

L. III. C. XVI.  
p. 317.

Ant. J. L.  
XVII. C. IX.  
p. 851.

Job. IV. 25.

C. XXXIII. 23.



*Crit. S. p. 491.* **DIEU, HEINSI** vestigia premente, urgetur hujusdem vocis emphasis, quasi *ἡ ἐξήγησις*, quam **CHRISTO** Evangelista attribuit, non tam sermone ac prædicatione, quam expressione & repræsentatione facta sit, sicut cœli enarrant gloriam Dei, quam sibi impressam & insculptam exhibere dicuntur. At enim vero, præterquam quod notissima illa sancti *Hymnographi* verba longe aliud, quam quidem primo intuitu præ se fert litera, mihi videantur innuere, hanc explicationem a textu remotissimam esse, bene monuit

*Disp. in Job. in 2. l.* **WIL. LYSERUS.** Caterum multa adhuc sunt, quæ de hoc **JOANNIS** loco controversa & disensionis plena inter eruditos ventilantur, quæque haud sine fructu excutienda forent; Sed quoniam mihi aliquantulum negotii obtare sentio, uela contraho. Antequam vero receptui canam, breviter **TIBI, Vir Clarissime,** & uno saltem verbo, de *Magistri* honoribus, ad quos mature adscendisti, gratulari debui, pio hoc addito voto: **FELICITER!** Gratulor etiam *Maxime Venerando Parenti*, de bonæ spei ac frugis filio, quo, ut semper gaudeat ac fruatur, opto! Sice eveniet, ut gratiam divinam, quam in tribuendis animi dotibus fautricem hucusque habuisti, & impostero talem experiaris, qua adjutus exoptatam tandem contingere poteris meram. Vale! *Dab. Lipsiæ.*

d. XIX. Febr. M. DCCXXXIII.





99 A 6909

ULB Halle

3

003 931 315




*Sl*

VD17

Reho

*Hi. 69.*









16 14 20

DE  
CHRISTO EXEGETA  
PAUCA DISSERERE,  
ET SIMUL  
VIRO CLARISSIMO ATQUE DOCTISSIMO,  
DOMINO  
GOTTLOB KAHLIO,  
DE  
MAGISTRI PHILOSOPHIÆ  
HONORIBUS,  
QUIBUS  
AUSPICATO AUGEATUR,  
GRATULARI VOLUIT  
L. GOTTLIEB GAUDLIZ,  
ECCLESIAST. LIPS.

---

L I P S I Æ,  
LITTERIS BREITKOPFIANIS  
ANNO MDCCXXXIII.